



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **GLORIFICANDUM ESSE*** VENERABILI DEI SERVO
NICOLAO A GESTURI

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — «Glorificandum esse Deum a nobis et imitandum Iesum meminerimus». Haec verba a Venerabili Servo Dei Nicolao a Gesturi paucos annos ante mortem scripta, summatim eius vitam exponunt, canticum profecto in Dei honorem atque exemplum magnanimi erga fratres ministerii. Filius Ioannis Medda et Priamae Cogoni, die V mensis Augusti anno MDCCCLXXXII est natus in loco vulgo dicto Gesturi, archidioecesi in Arborensi; in sequenti die baptismata percepit in ecclesia paroeciali sanctae Teresiae a Iesu dicata, nomen accipiens Ionnem, Angelum et Salvatorem. Parentibus orbatus, domi mansit sororis senioris matrimonio coniunctae, ut gratuito in famulatu se poneret eius mariti. Primam post Communionem per preces, incommodorum acceptionem atque praesertim caritatis operum exercitationem vitam suam singulari modo ad sanctitatem flexit. Aetatem agens XXIX annorum inter sodales Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum ingressus est Caralitana in urbe, nomen Nicolaum assumens. Post novitiatum vota nuncupavit, deinde vero XXXIV per annos studiose et humiliter ministerium exercuit stipem quaerendi. A fidelibus «Frater Silentium» appellatus, alto spirituali itinere nec non cotidianae vitae exemplo vivam Verbi Incarnati navitatem ostentavit. Caralitana praesertim in urbe cunctis Christifidelibus Evangelium significavit veluti viam quae ad sanctitatem dicit adque plenam beatitudinem. Qui olim opem pro conventu quaerebat, tunc spiritales ob necessitates ab aliis quaerebatur. Sancti Francisci exemplum imitatus, ad bona opera explenda tum sodales Ordinis tum cunctos Christifideles est adhortatus. Fere consumptus vita navitatis plena paenitentiaque atque gravi morbo correptus, sanctitatis fama circumdatus, pie obdormivit die VIII mensis Iunii anno MCMLVIII Carali, ibique, anno MCMLXVI, beatificationis canonizationisque causa est coepta. Die XXV mensis Iunii anno MCMXCVI, Nobis adstantibus, decretum promulgatum est quo declaratum est Dei Servum heroum in modum virtutes theologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Exinde Nobis coram, die XXI mensis Decembris anno MCMXCVIII, decretum super miraculo prodii anno MCMLXXXVI facto atque intercessioni Servi Dei adscripto. Statuimus idcirco ut beatificationis ritus die III mensis Octobris anno MCMXCIX in Urbe ageretur. Hodie idcirco in foro ante basilicam sancti Petri inter Missarum sollemnia formulam hanc protulimus: Nos, vota Fratrum Nostrorum Iacobi Cardinalis Biffi, Archiepiscopi Bononiensis, Arturi Luysterman, Episcopi Gandavensis, Iulii Sanguineti, Episcopi Brixensis, Mauri Meacci, Abbatis Ordinarii Sublacensis, et Ottorini Petri Alberti, Archiepiscopi Calaritani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Ferdinandus Maria Baccilieri, Eduardus Ioannes Maria Poppe, Archangelus Tadini, Marianus ab Arce Casali, Didacus Oddi et Nicolaus a Gesturi Beatorum nomine in posterum appellantur, eorumque festum: Ferdinandi Mariae Baccilieri die prima Iulii, Eduardi Ioannis Mariae Poppe die decima Iunii, Archangeli Tadini die vicesima prima Maii, Marianus ab Arce Casali die tricesima Maii, Didaci Oddi die sexta Iunii et Nicolai a Gesturi die octava Iunii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Quae ideo his

constituimus Litteris iubemus ut et in praesens et in posterum omne tempus suam sortiantur vim ac plane valeant,
contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die
III mensis Octobris anno MCMXCIIX, Pontificatus Nostri primo et vicesimo. De mandato Summi Pontificis
ANGELUS card.*

SODANO

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 7, pp. 573-575 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana